TEXTUS HIPPOCRATIS

EX

COACIS PRAENOTIONIBUS

A FOESIO

LATINE REDDITIS EXCERPTI

OMNIUM VERISIMILLIMA EXPLANATIO

TRADITA A J. D. M.

PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE DOCTORE.

ROMAE MDCCCV.

EX TIPOGRAPHIA PAGLIARINI.

Superiorum Permissu.

Qui librorum interpretationem suscipit non vulgarem, et superficiariam, sed interiorem, et solidam interpretandae materiae cognitionem habere debet: et cum Hippocratis libri nil aliud sint, quam purus praxeos succus; interpretatio quoque illis accommodata, et opportuna non aliunde certius peti debet, quam ex ipsa Praxeos exercitatione.

Baglivi de praepostera librorum interpretatione Cap. VIII. pag. 6[illegible].

TEXTUS HIPPOCRATIS

EX COAC. PRAENOTION.

INTERPRETE FOESIO

Si venae temporum in febribus pulsent, et facies bene habita fuerit absque praecordiorum mollitie longum fore morbum sperare oportet: qui nec nisi liberali sanguinis e naribus profusione, aut singultu, et convulsione, aut coxendicum dolore desinet.

IN Hippocratis sententiis hinc illinc excerptis accurate interpretandis, illud prae primis ante oculos habere oportet, perarduum saepe, et saepius etiam impossibile propemodum esse rectam harum sententiarum tradere interpretationem, nisi generalia principia et fundamenta ipsius doctrinae probe cognita fuerint, atque perspecta. Sic enim solummodo quidquid obscurum, et paradoxum in hisce sententiis primo intuitu apparet, omnibus rite collatis, sponte, facileque illustratur. Quo praemisso, propositi Textus interpretationem aggredior.

Morbi omnes cujuscumque indolis et naturae ipsi sint, juxta Hippocraticae doctrinae

principia quae rationi, et experientiae adeo consona sunt, ut ea quisque facile valeat intelligere, vel in salutem, vel in mortem, vel in alium morbum necessario desinunt. Hac posita veritate non hominum commentis, quae delet dies innixa, sed rationi non minus, uti jam diximus, quam quotidianae observationi, haud difficile quidem erit verum hujusce Hippocratis sententiae significatum invenire. Febres etenim, quae sine praecordiorum mollitie (1) temporum arterias exhibent pulsantes, aegrotique faciem bene coloratam, inflammatoria labe sanguinis massam esse correptam satis luculenter demonstrant. Haec igitur sanguinis, aliorumque humorum phlogosis quousque intra circulationis limites se coercens, viscus aliquod non aggreditur, tunc in aegri salutem desinere non solet morbus, nisi liberali sanguinis e naribus profusione: Si vero in abdominalium viscerum, et praesertim in hepatis substantiam irruperit, et ex hepate subjecto ventriculo communice-

(1) Sciendum venarum nomine arterias appellari ab Hippocrate, qui maxima et universali medicae posteritatis admiratione, earum pulsus rarissime, vel nunquam explorabat. In casu, de quo agitur, adeo vehemens supponi debet temporalium arteriarum pulsatio; ut oculis fere observaretur: hinc recte Duretus interpretatur *micantes*. Facies praeterea bene colorata, hypocondria tensa, seu *non mollia*, haemorragiae narium expectatio: uno verbo morbus, quem *longum fore sperare oportet*, ejus vehementiam satis aperte demonstrant.

tur, tunc singultus, et convulsiones praesto sunt, et mors prae foribus adest. Quod si autem per metastasim in coxis illabatur; tunc ischias, vel coxendicum dolor exoritur. In primo casu bene se habet res; Febrilis namque materies a naturae viribus concoquitur, eliminatur, et natura morbum omnino superat: In secundo haec cum aegrotantis exitio superatur a morbo: in tertio tandem, quamvis victrix natura sit, attamen adeo debilis remanet, ut incompleta dici possit ipsius victoria.

En igitur, omni obscuritate remota, verus, et genuinus istius sententiae sensus; At mirum sane mihi videtur hanc facilem, naturalemqne interpretationem ab aliis Interpretibus omissam prorsus esse: ita ut (2) nonnulli obscuritatis hanc sententiam accusent immerito; aliique vero (3), quos inter Cl. Duretus, et Mer-

(2) Foesius sic loquitur pag. 135. sec. 2. *Obscura est haec sententia, sed apertioribus verbis scripta lib. 2. epid. et abunde a nobis explicata in hujusce libri commentariis*: ubi ne verbum quidem de eo quod quaeritur.

Hollerius pag. 381. in suis Coac. commentariis ait. *Si vero singultus et convulsio superveniunt prae copia quidem esse possunt, sed inter litiria non ponuntur mala malis addita*.

(3) Ludovici Dureti pag. 70. in Coac. Hip. *Quibus in febribus temporum venae micant, unaque facies succi plena, atqne decora, nec hypocondrium molle est: diuturnum. Nec vero illae quiescunt nisi prorupto liberaliter e naribus sanguine, aut convulsione aut, coxendicum dolore*.

Mercurialis pag. 475. de Coac. praesag. sic text. vertit.

curialis in propriis Coacarum praenotionum versionibus hujus sententiae sensum immutare conentur. Singultum etenim, exitiale illud symptoma, silentio praetereunt, nec in ipsomet quidem Textu illum audent nominare; quod procul dubio demonstrat eos pro certo habere singultum acutis febribus supervenientem earum solutionem indicare nullimode posse.

Omnis vero apparens obscuritas in hac sententia ex eo repetenda, quia interpretres fere omnes, nescio qua ratione suffulti, opinantur Hippocratem sic loquendo Medicos docere voluisse febres hasce in aegrorum salutem semper abituras, vel cum liberali sanguinis e naribus profusione, vel cum singultu, et convulsionibus, scilicet aequali in utroque casu felicitate, quod absurdum omnino est, et ab omni explicatione alienum. Singultus etenim et convulsiones in genere semper malum indicant in febribus acutis, ut Hippocrates ipsemet, et praestantiores omnes Medicinae Scriptores ad nauseam usque repetunt. Signum

Quibus praecordia non mollia, facies sana, non liberantur citra multi sauguinis e naribus fluxum, aut convulsionem, aut coxendicum dolorem.

Horum Cl. Interpretum de singultu silentium meridiana luce clarius demonstrat eos non ignorare absurdum prorsus esse ex hoc adeo lethali simptomate praenunciare in acutis febribus salutem: Idque asserere eòs ferme pudebat, proindeque apertioribus verbis harum febrium quiescentiam indicant, singultu interea praetermisso.

namque hoc in febribus hisce numquam salutem praenunciat, perpetuo malum; et licet cum fugax sit, haud valde timendum, attamen et in hoc casu nil boni ex eo sperare licet, ut infra demonstrabimus. Juxta igitur signorum differentiam, de qua Hippocrates loquitur in textu, diversi hujus morbi exitus sunt expectandi: scilicet a liberali sanguinis e naribus profusione, salus: a singultu, et convulsionibus malum, et mors: a coxendicum dolore, alius morbus.

Itaque si Foesii versio pro vera, et genuina habenda fuerit; unica verisimilis hujus sententiae explanatio ea est, quae superius jam tradita fuit, quaeque non solum rationi, et experientiae respondet, sed etiam generalibus ipsius Hippocratis praeceptis solidissime innititur. Re quidem vera quoad primum exitum spectat, salutis scilicet, quam liberalis sanguinis e naribus profusio indicare solet, sic ipse loquitur in Epidem: Primo. *Largae sanguinis e naribus profusiones aegros liberant*. In secundo =. *Quibus sanguis rite, et largiter per nares erupit, servabantur; et cum hoc signo neminem novi mortuum*. Sic etiam in Coacis praenot: 7. 9. 14. *die sanguis e naribus erumpens febres solvit*.

At si larga narium hemorragia in febribus hisce juvat: singultus, et convulsiones symptomata mali ominis semper sunt, semperque pertimescenda: si salus ex illa; lethum ex hisce in acutis febribus expectandum. Sic enim ait Hippocrates in Coacis: *Si quis la-*

boriosa febri singultiat, atque obstupescat, pessimo morbo laborat. Hoc enim symptoma in febribus acutis abdominis viscera inflammata ut plurimum ostendit cum aegratantis periculo: unde in aphor. habetur: *In hepatis inflammatione singultus, malum*. Omnes vero quotquot sunt celebratissimi Medicae Artis scriptores singultum in acutis febribus damnant, et ex eo nil boni sperare monent. Sic enim Prosperus Alpinus in aureo ipsius opere *de presagienda vita, et morte aegrotantium*. Cap. 9. lib. 3. *Singultus in febribus quemadmodum et convulsiones perpetuo timendi sunt, omniumque maxime febribus supervenientes*. Carolus Valesius Romani Archigimnasii quondam Professor, hisque aetatis nostrae in Hippocratis praesagiis illustrandis haud sane inferior de singultu sic loquitur. *Caeterum singultus in malignis, et ardentibus febribus fert adeo triste praesagium, ut nemo valetudini restituatur, in quo singultus fuerit animadversus*. Vallesius in comment. sec. 2. lib. 3. Epidemiorum de singultu verba faciens sic ait: *Signum adeo lethale cum extenuatis jam, aut ardente febre, malignaque afflictis supervenit, ut nunquam ex hoc signo deceptum meminerim, quoties ex eo morituros esse praedixerim*. Licet vero Convulsiones in genere ab Hippocrate damnentur in febribus, attamen (4) quandoque ex illis aliquid sperare

(4) Nullum sane est in Hippocratis libris verum, generale, et magni ponderis praeceptum quod semel scriptum fuerit, sed pluries, pluriesque repetitum.

monet: ast e singultu quomodocumque febribus superveniente nunquam sperandum, perpetuo pertimescendum: neque hic confundendus cum aliis convulsionibus; hae namque musculos aggrediuntur; ille vero nobilissimum stomachi viscus.

Inter tot igitur aequivoca acutarum febrium signa, quae nunc salutem, nunc mortem portendunt: quae modo critica (5) esse possunt, modo lethalia, singultus mala semper significat, et stultorum medicorum est sperare ex illo salutem. Pejori autem in discrimine aegrum versari unusquisque facile intelligit, si una cum singultu convulsiones etiam copulentur.

Quoad vero tertium exitum pertinet, ipsemet Hippocrates docet hujusmodi morbos saepe saepius ad coxas converti posse, et febri sublata, diuturnos dolores progignere. Ita

Sic convulsiones febribus supervenientes malum indicare iterum iterumque docet; at quandoque febres a convulsionibus solvi, ipsemet ali nando monet. Verum nec ratio, nec experientia, nec Hippocrates acutas febres a superveniente singultu dissipari docent: passim e contra ab utrisque docetur valde pertimescendum esse in hisce febribus, tali superveniente symptomate, quod semper tum medicorum, cum aegrotantium horrore solet apparere: quoties vero fugax, nil boni sperandum est, si haud valde in hoc casu erit ex eo pertimescendum.

(5) Inter critica morborum signa, quae licet metum incutere valeant Medicis, salutem aegrotantibus paaenunciant, nec Hippocrates, nec Medentes alii, qui de hisce funditus pertractarunt, singultum recensent.

enim ipse loquitur in Coacis. *Dolor quoque genuum, et coxendicum febres solvit*. Sic etiam in lib., cui titulus *de ratione victus in morbis acutis* = *Si sine critica evacuatione febris solvatur, aut aegritudo revertitur, aut crus, aut coxa dolebit*. Haec vero metastasis tunc locum habere solet, cum febrilis materies licet lente a natura cocta, attamen ob suarum virium deficientiam extra corpus eliminari nequit.

Hujusce igitur Hippocratis sententiae hisce eisdem verbis enuntiatae haec est sane omnium verisimillima explanatio; non ab irrito lascivientis fantasiae conamine desumpta, non a servili pecudum more alienos errores venerandi, sed a funditus perspecta (6) generali morborum natura, atque a generalibus experientiae, rationis, atque ipsiusmet Hippocraticae doctrinae principiis, quae adeo firma sunt, atque inconcussa, ut *si quid eorum*, ait elegantissimus Celsus, (7) *vix millesimo in corpore aliquem decipiat, id fidem non habet, cum per innumerabiles homines respondeat*.

(6) Absque Carneadis ingenio in arte adeo conjecturali, et versatili, ut medicina est, nisi generalia principia, et fundamenta rationi, atque experientiae consona mordicus teneantur, pro et contra de quolibet disputare haud difficile erit; Exceptiones etenim non iufrequenter observantur: anomaliae saepae saepius occurrunt; at medicorum est extraordinarios casus haud tanti facere, ut ordinarios negligant Aliter Professores et ars ipsamet perpetuo fluctuantes, atque ancipites nil veri statuere poterunt.

(7) Lib. II. cap. 6.

IMPRIMATVR.

Si videbitur Reveren. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Benedictus Fenaja Congregationis Missionis Archiep. Philippen. Vicesgerens.

IMPRIMATVR.

Fr. Th. Vincentius Pani Ord. Praed. Sacri Palatii Apost. Magister.